

1591  
Laurentius  
Bernardus  
Byzantium  
mittitur.

In eam sententiam cum omnes consenserint, Senatus consultum fit; lectus Laurentius Bernardus, vir præstanti virtute, aliquot ante annis Byzantina legatione functus, cui, ut statim se itineri committeret, Lippomanum quacumque ratione perducendum ad urbem curaret, iussum. Media igitur hyeme maximis itineribus per semitas glacie ac nive obsitas in viam se dedit, Byzantium se contulit. Ejus Senatus consulti notitiam ad Lippomanum pervenisse constat; cui, vel sese recipere, vel fuga incolumitati consulere, Visiri præsertim auctoritate, haud difficile fuerat: quod ille, vel uti periculi plenum, vel uti culpæ indicium neglexit. Itaque cum Bernardus Byzantium pervenisset, statim Galatam (modo *Peram* vocatam) delatus, legati ædes ingressus, de Decemvirum eum decreto monet. Is in supremi concilii potestate futurum, ejusque mandatis obtemperaturum respondet: ut insumptæ in frumentis coemendis pecuniæ rationem ab se Patres reposcerent, acciri Venetias arbitratus. Legato custodia septo, exemplo ad Visirum Bernardus proficiscitur, literas fiduciarias Senatus exhibet, seque Byzantium missum, ut gravissimas ob causas Lippomanum in potestate habere niteretur, significat. Bassa, ad quem de iis, quæ acta fuerant, rumor pervenerat, initio haud parum perturbatur; cum postea, quæ Decemviros ad id decretum impulerant, Reipublicæque in amicitia cum Amurathe servanda constantiam cognovisset, acquievit. Re confecta, iter mari habiturus Lippomanus, navigium concendit. Intrepido vultu, hilari facie, infractum animum toto fere itinere Lippomanus præsetulit: donec Jaderam delatus, a magistratu (nunquam ab ejus latere ministris discedentibus) exceptus, veriores sui itineris causas agnovit. Inde mœstitia corripi, labare animo, oris aspectu immutato, cogitabundus subsistere, ac nescio quid insuetum meditari. At cum primo, eminus licet, urbem, in qua ortus atque altus erat, inspexisset, summo mane veste petita, tenuissimoque lineo tegmini, quo amictus erat, superinducta, in triremis, qua vehebatur latus incumbens, ministrorum nemine advertente, veste ipsa abjecta, magno se impetu in mare projecit, vel natandi agilitate, excurrente triremi, incolumem evadere, vel judicio atque infamiae morte ipsa eximere se posse ratus. Eo inopinato casu stupore defixis omnibus, atque

iis

Hierony.  
mus Lippo-  
manus mari  
Venetias  
missus.

Hierony-  
mus Lippo-  
manus in  
mare se deji-  
ciens, obiit.